Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36451
Copyright: Melk, Benediktinerstift

ecclesie faceret premonstrabat. Inte-
rea moribus ecclesiasticis assuefactus.
apud urbem uulgo regenesburc
dictam clericatus honore donatus
est. Pippinus itaque tunc temporis
uir magne pietatis genitor uide-
licet magni karoli. rem publicam
galliarum florentissime guberna-
bat. et milone archiepiscopo treuerensi
suum rebus humanis exuto. treue-
renses presule indigebant. Grex
itaque domini pastore destitutus. consilium
ad dominum. totis precibus incumbit. et
ut ecclesie sue turbine seculi fluctuan-
ti rectorem tribuat exposcit. Tunc
subito hildolfi nomen per ora om-
nium sonuit. quod uir nobilis
esset. sciencia eruditus. lingua ur-
banus. uita moribusque compositus.
Mox sermo in aula regis perce-
pitur. atque exiit edictum ut uir
talis ac tantus pastorale subiret
ministerium. Quo comperto uir
dei indiuisa mente se contra paruit. Nam
heremum conceperat. nisi populi de-
uotio preueniens obstitisset. Ab
histria igitur raptus. galliam bellicam
usque deductus est. Fit conuentus
totius regni. accurrunt principes
cum episcopis. cetus clericorum monachorum
cum populorum turbis. una omni-
um acclamacio. hildolfum esse
honore episcopali dignissimum. cum
uir dei e diuiso se omnino recla-
maret indignum. Nam proprie fra-
gilitatis robustus perspector. semet
ipsum in se meciendo sibi time-
bat. quia que et qualis sit racio
animarum reddenda cogitabat.
Quod si homines nunc perpendere

uellent. dum liberi et quieti ui-
uere possent. regimen ecclesiasti-
cum ad quod uiri sancti uix cogebantur
nequaquam pecuniis tam prompte
mercatum irent. Sed tandem ui-
cit fidelis populi adclamacio deuicta.
atque communi omnium uoluntate
treuerorum confirmatur antistes.
Qualis uero fuerit et qualem se
cunctis prebuerit. quia difficile
explicabitur. attemptare ueremur.
Igitur beatus uir non in aliquo de
boni operis proposito. semel arrepto
aliquid imminuit. sed uelut centu-
plicatum augmentaret. Enimuero
quasi puer aut adolescens quicquid
ubique scelerum perpetrasset. sic in peni-
tudinem conuersus se totum se exerit.
Uideres hominem exesum ieiuniis
uix ossibus herere. ad sanctorum memo-
rias indefessum iacere. in mundiciam
lacrimarum madere sedulo. noctes
insompnes ducere. Quid enim dice-
mus. cum pauperes. mediocres. et
diuites summo studio omnique
diligencia curare? Quicquid sibi e-
rat omnibus commune faciebat. diui-
tibus egenis mediocribus idem semper
erat. His precipiebat non superbe sa-
pere. neque in incerto sperare diuicia-
rum. sed in domino qui dat omnibus
omnia affluenter. et ut eorum habun-
dancia pauperum inopiam suppleret.
quatinus in futuro pauperum habun-
dancia diuitum inopie fieret sup-
plementum. Pauperiores autem rebus
admonebat. ut scirent spiritu pauperes
esse. et in humilitate gracias deo a-
gere. dicente ipso domino. beati pau-
peres etc. Perquirebat quotidie que